



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Davidis Regii Prophetae Psalterivm**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs XXXV. Iudica, Domine, nocentes mihi, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Qui iusto grauis est, hunc sua pena manet.  
Vindicat ipse animas seruorum Ioua suorum,  
Fidentes Domino præmia dignaferent.

PSALMVS XXXV. 1.

Iudica, Domine, nocentes mihi, &c.

**Q**ui mihi bella parant, Deus, his fera bella  
Quiq; fouent lites, obrue lite sua. (moueto,  
Arripe tela manu, clypeo te fortiter arma,  
Mox tua opem armipotēs et tua dextra ferat.  
Protinus hanc animam correpto protege ferro,  
Contra inimica mihi castra pioq; gregi.  
Huic animæ dic as meæ ab hostibus vndiq; cinctæ:  
Sum tibi præsidium, sum tibi certa salus.  
Fac pudefacti omnes, qui subdola retia tendunt,  
Retro abeant, mihi cum dāna dolosq; struant.  
Casibus expansis cum vitæ huic insidientur,  
Abscondant animæ cum laqueosq; meæ.  
Obruat incautum fouea quam fodit hiatus,  
Cum studuit structis me capere insidiis.  
Sic anima in Domino hac requiescat lata benigno,  
Auxilio cuius sàpè leuata fuit.  
Corporis ossa mei dicent: quis erit tibi, Ioua,

Par similis ué, fero me quòd ab hoste rapis.  
Quòd miseris astans à diripientibus ipsis  
Eruis, in tuto stare facisq; loco.  
Exurgunt testes lingua labiisq; nocentes,  
Immerito affingant ut mihi crimen atrox.  
Pro factis benè, peruersi mihi damna rependunt,  
Mæstificis angunt tristia corda dolis.  
Ast ego lugebam, morbo languentibus ipsis,  
Et sacco induitus tristia signa dabam.  
Ieiunans etiam affixi me, ut conspiceretur,  
Ex animo ipsorum me doluisse vicem.  
Non secus orabam proq; agrotantibus, ac si  
Pro socio aut cuperem flectere fratre Deum.  
Non aliter soboles pia flens in funere matris,  
Mæret, ego ut sparsi fletibus ora meis.  
Ast illi cernunt lati mea tristia damna,  
Et contrà unanimes in mea fata ruunt.  
Quin quoq; proscindunt me claudi, nec mihi noti  
Casibus insultant ē sine fine meis.  
Hos subsannator se iungit hypocrita, frendens  
Dentibus, atq; colax gaudia ventris amans.  
Quo, Deus, usq; taces? animam, rogo, libera ab  
Hanc leo desertam ne rapuisse queat. (ipsis,  
Laude

*Laude feram in cætu celebri tua nomina, Ioua,  
In populi turba carmina grata canam.  
Ne patiare Deus, de me latetur ut hostis,  
Quem sine iure mihi velle nocere vides.  
Non loquitur pacem, meditatur verba dolosa,  
Pacificosq; premant qua ratione viros.  
Hoc genus insultans mihi et os distendit, et inquit:  
En iacet, oppressum quis relevare queat?  
Tu Deus hac cernens, tandem alta silentia rumpe,  
Nec procul à me (tu vis mea) abesse velis.  
Exurge euigilans, causamq; tuere iacentis,  
Perfice, iudicio ut stemq; cadamq; tuo.  
Ne sine, gaudentes in cordibus vt mihi dicant,  
Eia age, successit, iam iacet, ecce perit.  
Fac pereant & probra ferant misere pudefacti,  
Quos mea cum risu cernere damna iuuat.  
At lati exultent, optantes, vt mea tandem  
Causa patrocinio vincat ouetq; Dei.  
Hi dicant: Dominus sit gloria lausq; iuuanti,  
Successu careat ne bona causa bono.  
Et mea iusticiam celebrabit lingua Jehouæ  
Quotidiè, donec nox erit atq; dies.*